Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. VIII.

urn:nbn:de:bsz:31-267058

Visual Library

per merita B. Odiliæ non tantum abrepta reſti-
tuit, ſed et de ſuo largiter conſtituit habenda.

Cum hic dicatur alter ex Ethiconis filiis fuiſſe
æquivocus, i. e. ejusdem nominis, et Argentinenſi
Eccleſiæ præfuiſſe, ille autem Epus in ſuo teſta-
mento /: quod recitat Guillimannus :/ Ethonem ſe
ſcribat et ab aliis ſic appelletur, tanto libentius
me accomodo cæteris, qui in Ethiconicæ familiæ De-
ſcriptione ſeniorem duntaxat Ethiconem, filium vero
Ethonem nominant.

8. De Alberico jam teſtem omni exceptione majorē au-
divimus et nullum de eo dubium de Otperto ſeq. capite
videbimus. De Adalrico, deq; S. Odilia et reliquis
extra lineam rectam deductionis noſtræ exiſtentibus
non eſt hic agendi locus, multa de illis apud alias paſſim
Scriptores, præſertim Alſaticos, invenies.

Cap. VIII.

Familiæ Alſatico-Habſpurgiæ usque ad Goutramum divitem Otperti trinepotem, Hermañi vero I. Badenſis abavum Deductio

Probationes

1. De Otperto in memoriam tibi redeant, Lector, Teſtimo-
nia ex Trudpertinis monumentis, et Ruyrio ſub c. 5.
allata. Quod autem Gab. Bucelinus hujus filiū facit
Luitfridum, eum, qui per Donationis tabulas datas

anno II. regni Lotharij, id est, Christi 903. Monaste-
rium illud locupletavit, non possum, quin ab ejus Sen-
tentia /: cui alioquin plurimum tribuo :/ tantisper disce-
dam: Quamvis enim de hoc Osperto Alsatico-Habspur-
gensi, quo anno vel natus vel denatus sit, nemo, quod
sciam, Scriptorum prodat, attamen ubi nos destituunt
Historici et Chronographi, ratiocinio agendum et ex no-
tis ignota eruenda sunt. Est inprimis utcunque nota S.
Odiliæ Abbatissæ ætas. Scriptor vitæ ipsi coævus /: quem
cap. praeced. allegavimus :/ centum circiter annos illam vi-
xisse memorat; Ruyrius l. 4. c. 10. ex pervetustis Annalibus
constare dicit, quod tertium supra centesimum attigerit,
adhuc regnante Pipino /: non tamen Carolo :/ superstes fu-
erit. Ponamus igitur ultimo Pipini anno mortuam,
qui fuit C. an. 768. consequens erit, natam fuisse 665.
cumque duo ex fratribus Etho et Albertus ipsam ordine
nascendi anteverterint, non potuit Etho minus quam
biennio ante, id est, 663. in lucem prodiisse. Hunc si
annis quinquaginta cælibem feceris aut improlem,
antequam filium procrearet Albericum, si totidem Al-
berico dederis, antequam Osperto, si Osperto rursus an̄os
50. antequam Luitfridum gigneret, tunc potuit fortas-
sis Luitfridus ætate octuagenarius Lothario regnante
tabulas illas signare: atqui aliunde notum est, Ethonem
Ducem non exspectasse annos 50. quandoquidem filius
ejus æquivocus /: ut loquitur autor vitæ S. Odiliæ :/
Etho sive Hetto jam circa an. 720. Abbas, nec multo
post Episcopus fuit Argentinensis, teste Hermanno con-
tracto,

tracto probatiſsimæ fidei Chronographo, ut plusquam probabile ſit, extitiſſe illum an. 690. et per conſequens etiam fratrem ejus natu majorem Albericum Ducem.

Notum præterea, quod S. Odilia non ſolum fratres et ex fratribus nepotes, ſed etiam pronepotes, ac nominatim Alberici filium tertio genitum Eberhardum ad meliorem frugem piis cohortationibus reduxerit.

Qui Eberhardus tunc ea fuit ætate, ut potuerit leone et urſo ferocior in ſervos DEI ſævire, bona eorum diripere &c. matura itaque et virilis Oſperto quoque ſecundo genito tunc erat ætas et nimis longe diſtans a nono ſæculo.

His rationibus moveor, ut Rampertum, quem Bucelinus inter antiquiores Habſpurgios computat, ego Alſatico-Habſpurgiis accenſendum, et Oſperti IV. filium extitiſſe putem, ex quo deinde Goutramus I. genitus ex Goutramo Luitkardus, et ex hoc demum Luitfridus, de quo ſupra, favebit præter alios.

Peſpordius Stematis Auſtriaci Schemate 2. ſive pag. 3. de Hettoprechto ſuo hoc ſcribens: Hettoprechtus, qui et Hettobertus et Obertus appellatur, aut Roſherij aut Amprincti, ſi Guillimannum ſequimur /: ſi Trudpertina documenta legiſſet, diceret Alberici :/ filius Altenburgi et Habſpurgi Comes, Landgravius Alſatiæ et Briſiacæ, cognomento cautus; hunc volunt ob devictos in trans-Rhenanos graſſantes Heduos a Francorum Regibus Alſatia et Brisgovia inveſtitutum fuiſſe /: nempe qui ignorant eum ex patre, avo, proavo Alſaticum fuiſſe :/ et circa an. 780. floruiſſe. Uxorem illi tribuunt filiam cujusdam Burgundiæ Comitis &c. quæ ſequuntur, nihil probabilitatis habent, hinc omitto: De filio ſubdit

2. Ramprechtus ſive Rampertus Hettoprechti F. et cog. gratioſus hanc pariter ut patrem, neſcio quo fundamento a Francorum Regibus Alſatiæ Landgravium inveſtitutū fuiſſe, quidam habent, non alio fundamento, quam quod poſſeſſiones Habspurgias, cum Alſaticis hoc tempore conſociatas viderunt, et cauſam rei Hiltrudis adoptionem ignorarunt, poſſedit, quod Heuterus pro certo aſſeverat, quidquid eo tempore juris et ditionis Habspurgicæ erat per Sueviam, Alſatiam, Brisgoviam, Harcyniā Sylvam, in monte Jura et alibi; et quidquid olim Dux Attico ejusque filia S. Odilia, et eorum poſteri in Alſatia poſſederunt; Vide an hæc in aliquem ex antiquis Habspurgiis quadrare poſſint? Monasterium S. Trudperti pene deſtructū reſtituit, Baſilicam a fundamento duxit, et obiit aō ſ. ſecundum Guillimanum 771. alii habent ipſum adhuc ad annum 814. floruiſſe, Guillimanus ipſi filium unicum Guntramum tribuit: Cæteros Lazius et alÿ adjungunt.

Vita MSta Trudperti hæc de eodem: Rampertus pietatis avitæ Succeſſor B. Trudperti memoriam accuratius inſtaurare contendens diruta reparare, convulſa reducere, ac erigere jam dilapſa omni contentione ſatagebat, qui Baſilicam inſuper cum copioſis auri ſculpturarumque paratibus in B. Petri et Pauli memoriam, quibus locum ipſe S. Martyr dicaverat, ſumptuoſo conſtruxit impendio: cujus etiam tempore Sanctus tunc Stephanus Papa B. Trudpertum Catalogo S. Martyrum reverenter adſcripſit, in eorum Collegio cenſuit honorandum, Domino id per innumeras declarante virtutes.

52. Guillimannus hoc de Stephano III. intelligit, et Canoni-
zationem factam putat anno 754. quo is in Gallias venit, Pipinum cum filiis Carolo et Carolomanno in Reges unxit; Aſt ratio temporum mihi perſuadet, non potuiſſe eo tempore Rampertum res habspurgicas moderari, ſed vel ex antiquis Habspurgiis Otpertum IV. qui adhuc circa an. 780 floruiſſe traditur, crediderim igitur a Stephano V. P. R. qui et ipſe in Gallias venit, Ludovicum pium Rom. Imp. coronaturus circa an. 816. B. Trudperto publicos honores decretos, quo tempore potuit Rampertus Otperti IV. filius natura, ſi non caduca jam ætate fuiſſe.

3. De Guntramo et Luithardo non eſt, quod addam his, quæ Crispordius de utroq; memorat; Illuc te remitti patiere, Lector, ne ego actum agam.

4. Luitfridum, ejusq; fratrem Hugonem absq; prole defunctum, et filios Hunfridum, Luitfridum juniorem atq; Hugonem Egineskeimenſem produnt Donationis Tabulæ Trudpertini Monrij, primo Abbati Walderico datæ anno, ut ſupra memini, Ludovici Regis, qui Arnulphi Imp. filius fuit III. id est, Chr. 903. recitatæ tum a Guillimanno tum a Bucelino, in quibus obſervo, eum de et ſimpliciter dici: Ego Ludovicus Comes de Abenſpurg: quo titulo cum ipſe contentus fuerit, miror, cur libeat pleriq; Scriptoribus agglomerare plures titulos Comitis nimirum Vindoniſſæ, Altenburgi, Landgravij Alſatiæ et Briſiacæ &c. Sane Landgravij vocabulum puto adhuc integris ſeculis ignotum et a nemine uſurpatum fuiſſe. In Alberti III. Sigillo, qui circa an. 1160. floruit, inſcriptionum Comitis Habspurgi et Ergoviæ et Landgravij Alſatiæ titulum

lum tradit Piespordius, cui fidem libens accomodo. Quod autem ante hunc ullus Habspurgiorum eo uſus ſit, vix credo, niſi ſimilia ſigilla inſcriptionesve videro. Hinc et illa in æde Trudpertina ſaxo inſculpta epigraphe hæc: requieſcunt fundatores hujus loci Comites de Habspurg Otpertus, Rampertus, et Luitfridus, Landgravij Alſatiæ; Item Hundfridus, Luitfridus, et Domina Ermentruda, non mihi videtur, tam vetuſta eſse, quam ſibi perſuadet et Bucelinus, quia Landgravij titulum non contineret, ſi valde antiquus Author foret, quod characteri attrito digitos imergere opus habuerit ad extrahendos pulveres, non probat multorum ſeculorum antiquitatem, unum ſatis eſt, ut obſoleſcant, et pulveribus repleantur hujusmodi Characteres: equidem vix dubito, eundem Auctorem, qui vitam S. Trudperti ſcripſit, etiam epigraphen illam dictaſse lapidi inſculpendam, ætatem ſuam is prodit in calce operis his verſibus:

Has Erganbaldus Truperti Martyris almi
Præſul poſt cineres renovando reſtruxerat ædes
Tactus amore Dei, venerandos ſcribere Sancti
Actus non piguit, ſed et hoc pro poſse peregit.
Tempus ſi poſcas, quo ſcripſimus hoc, ea noſcas
Annis millenis, ducentis, octuagenis
Wernero plexo titulus ſub patre ſereno.
Albertus Rector infirmorumque refector
Claviger bonus Wernerus ædiſta colonus
Fecerunt ſcribi mitis Trudperte beate
Hunc librumque tibi fulgens per climata late.

Anno igitur 1280. poſt reſtauratam, quæ incendio

54. vaſtata fuerat, Ecclesiam Trudpertinam, præcipuis Benefactoribus hoc monumentum poſitum fuiſse, credibile eſt: Unde quorundam, quos aliunde conſtare dicit Bucelinus, etiam illic ſepultos, omiſsa nomina, ut Guntrami /: intelligo primi :/ qui poſt Rampertum collocatus foret, ſiquid eximij beneficij contuliſset.

5. Ad Guntramum ſecundum Cogn. divitem devenimus, quem unanimi conſenſu inter Habspurgo-Auſtricorũ Principum progenitores connumerant Auctores, per conſequens et Badenſium, ut cap. ſeq. oſtendetur.

Cap. IX.

Linea Habspurgica	Linea Zeringenſis.
	Brichtilo comes unacum fratrib Moñrij Sulzbergenſis in Briogoia conditor an. 1008. ibidẽ ſepultus. vid. lit. A.
Guntramus comes de Habspurg, ſub Henrico I. Imp. et bellis et ludis equeſtribus celebris. obüt an. 946. VII. cal. Apr. Uxor I. N. comit. Brigant. II. Itha Adalberonis Comitis Calveenſis filia.	Bezo Comes de Habspurg, qui et Wilandolus dictus, caſis ad Seckingã Hungaris clarus an. 937. confundator Sulzberg. obüt 991. IV. non. Apr. Sepultus Sulzberga. Uxor N. Comes Sonnebergica. vid. L. B.
	Gebizo comes fundator albæ Augiæ ad Ravesbergum.
	Cuonzelinus comes.